

fiet quidem. Ponant motum; nil sine hoc nec fit nec perit, nulla sine motu ars, nulla mutatio est. Sed nos nunc primam et generalem causam quaerimus; haec simplex esse debet; nam et materia simplex est. Quaerimus, quid sit causa: Ratio faciens, id est, Deus. Ita enim, quae nunc retuli, non sunt multae et singulae causae, sed ex una pendent, ex ea, quae facit. Formam dicis causam esse; hanc imponit artifex operi; pars est, non causa. Exemplar quoque non est causa, sed instrumentum causae necessarium. Sic necessarium est exemplar artificis, quomodo scalprum, quomodo lima; sine his procedere ars non potest; non partes tamen haec artis, aut causae sunt. Propositum, inquit, artificis, propter quod ad faciendum aliquid accedit, causa est; ut sit causa, non est efficiens causa, sed superveniens. Hae autem innumerabiles sunt: non de causa quaerimus generali. Illud vero non pro solita ipsis subtilitate dixerunt, totum mundum et consummatum opus, causam esse; multum enim interest inter opus et causam operis. Aut fer sententiam: aut, quod, facilius in ejusmodi rebus est, nega tibi liquere.

De Div. II. 22.—Causarum ignoratio in re nova mirationem facit. Eadem ignoratio si in rebus usitatis est, non miramur.

De Div. II. 28. — Quidquid oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est: ut etiamsi praeter consuetudinem exstiterit, praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur investigato in re nova, atque admirabili, si potes. Si nullam reperies; illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa: eumque terrorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturae ratione depellito. Ita te nec terrae fremitus, nec coeli discessus, nec lapideus aut sanguineus imber, nec trajectio stellae, nec faces visae terrebut.

Plinii Major. lib. II. c. 1. 2. 3. Mundum, et hoc, quod nomine alio coelum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur